

Acad. prior. II. 28. — Dialecticam inventam esse dicitis, veri et falsi quasi disceptatricem, et judicem. Cujus veri et falsi? et in qua re? in geometriane, quid sit verum, vel falsum, dialecticus judicabit? an in litteris? an in musicis? At ea non novit. In philosophia igitur? Sol, quantus sit, quid ad illum? quod sit summum bonum, quid habet, ut queat judicare? Quid igitur judicabit? quae conjunctio, quae disjunctio vera sit, quid ambigue dictum sit, quid sequatur quamque rem, quid repugnet? Si haec et horum similia judicat, de se ipsa judicat. Plus autem pollicebatur! Nam haec quidem judicare ad ceteras res, quae sunt in philosophia multae, atque magnae, non est satis. Sed quoniam tantum in ea arte ponitis: videte, ne contra vos tota nata sit. Quae primo progressu festive tradit elementa loquendi, et ambiguum intelligentiam, concludendique rationem; tum, paucis additis, venit ad soritas, lubricum sane et periculosum locum, quod tu modo dicebas esse vitiosum interrogandi genus.

Fin. III. 22. Ad eas virtutes, de quibus disputatum est, dialecticam etiam adjungunt (Stoici) et physicam; easque ambas virtutum nomine appellant; alteram, quod habeat rationem, ne cui falso assentiamur, neve umquam captiosa probabilitate fallamur, eaque, quae de bonis et malis didicerimus, ut tenere tuerique possimus. Nam sine hac arte quemvis arbitrantur a vero abduci fallique posse. Recte igitur, si omnibus in rebus temeritas ignoratioque vitiosa est, ab his ea, quae tollit haec, virtus nominata est. Physicae quoque non sine causa tributus idem est honos: propterea, quod, qui convenienter naturae victurus sit, ei et proficiscendum est ab omni mundo, atque ab ejus procuratione. Nec vero potest quisquam de bonis et malis vere judicare, nisi omni cognita ratione naturae et vitae etiam deorum, et utrum conveniat, necne, natura hominis cum universa: quaeque sunt vetera praecepta sapientium, qui jubent *tempori parere, et sequi deum, et se noscere, et nihil nimis*. Haec sine physicis quam